



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm  
Tomvs ...**

**Łęczycki, Mikołaj**

**Antverpiae, 1650**

Quæ Religio sit eligenda ab habente vocatione[m] ad statu[m] Religiosum.  
C. XVIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78809](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78809)

ante per gratiam, dum in ea erat, vnita) separatur, ac quasi disunitur ab illo. Et, si esset nunc capax doloris in cælo, etiam ibi summo dolore cruciaretur ob quoduis peccatum mortale. Fugienda ergo sunt, & statim tentationes ad illud pellicientes reprimeantur, tum aliis modis, tum recordatione huius nunquam, quod cruciat dānatos, & quod promerentur ij, qui Deum peccato mortali audent offendere, & per illud ab eo spiritaliter separari, ac fieri diaboli propria mancipia.

Quocirca optimum contra tentationes ad peccata allicientes remedium est, agitare pœnas perpetuas inferni peccatis mortalibus debitas. Ne fugiamus, igitur, inquit S. Chrysostr. sermonem de gehenna, vt gehennā fugiamus; ne fugiamus pœna mentionem, vt non puniamur. Si dicitur ille illum ignem cogitasset, non peccasset, quoniam autem eius nunquam meminit, idcirco in eum incidit.

Decimum tertium remedium est, consideratio exemplorum eorum qui in occasionibus perdende castitatis se generose gesserunt non consentiendo sceleri. S. Eucherius: Quisquam tentari se luxuria stimulis sentit? Ioseph factum ad memoriam riuocet. Et in arce se castitatis seruet.

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

Quæ Religio sit eligenda ab habente vocationem ad statum Religiosum.

Præclare scripsit S. Gregorius Nazianzenus, certum vitæ genus constituere, esse rem tanti momenti, vt totius vitæ, vel recte vel male traducenda fundamentum in eo positum sit. Ideo qui à Deo abstatantur à seculo, diligenter considerent, in quo Ordine religioso debeant se Domino consecrare. Sunt enim varij modi quibus clementissimus Deus vocat homines ad statum Religiosum. Nā quidam vocantur à Deo vt certam, & determinatā Religionem ingrediantur: Alij non statim docentur à Deo quem Religiosum Ordine ingredi debeant, et si resoluti sint ex diuina inspiratione, amplecti aliquem: Alij præterea verè impelluntur à Deo ad statum Religiosum, quostamen Deus non vult efficaci voluntate Religionē ingredi, sed vt Theologi loquuntur, vult voluntate signi, paulò post declarandā. Alij denique sentientes se interius ad statum Religiosum amplectendū trahi, prius afficiuntur vni certo Ordini, postea, mutato consilio, amplectuntur alium, & ei se deuouent. Ne autem hac in re, quæ magni momenti est, erretur, tradam aliqua sincera monita, aspirantibus ad statum Religiosum profutura.

In primis certum est, vt supra cap. 2. ostendi, desiderium intrandi Religionem bono fine, & modo conceptum, esse à Deo; quia nec à natura, nec à demone proficisci potest. Quicquid sanctum cogitaueris, inquit S. Ambrosius, hoc Dei munus est, Dei inspiratio, Dei gratia. Aliquibus ta-

men personis inspirat Deus hoc desiderium, non vt illud exequantur, sed tantum vt meritum acquirant coram Deo ob hanc bonam voluntatem. Quosdam enim Deus vocat primū ad certum aliquem Ordinem, non voluntate beneplaciti, quæ omninò semper exequenda est, sed, vt Theologi cum S. Thoma docent, voluntate signi. Hoc modo Deus prius volebat ab Abrahamo sibi immolari filium Isaac, vt ei meriti occasionem præberet, per consensum ad exequendam immolationem filij: sed postea voluntate beneplaciti, voluit eum abstinere ab immolatione Isaac, contentus eum, non manu, vt obseruauit S. Chrysostr. sed mentis proposito immolatum fuisse. Sic, vt scripsit S. Prosper, ex Deo erat, quod Dauid vellet adificare templum, idque Deo placuit 3. Reg. 8. 18. 19. & 1. Paralip. 17. & ex Deo erat, hoc facere Salomonem, non Danid. Sic, vt idem S. Prosper ibidem ponderat, quamuis Apostoli, procul dubio mouente Deo, vellent gentibus loqui verbum Dei in Asia, vetati sunt à Spiritu S. Et postea, cum tentarent ire in Bithyniam, sine dubio volentes ibi prædicare Euangelium, quod sine Dei motione non poterant velle, non permisit eos Spiritus Iesu. Ita Deus aliqua, inquit idem S. Prosper loco citato, fieri noluit, quæ homines facere, Deo volente, voluerunt. Ita sæpè vidimus Episcopis & Cardinalibus aliquibus pijs, & Proceribus distissimis, fuisse à Deo inditum desiderium ardentissimum Religiosi status, ad quem tamen à prudentibus & expertis Superioribus Regularium, sua non quærentibus, sed Dei maiorem gloriam, non sunt admissi, vel quia eos magis Dei gloriam in seculari statu promoturos certò videbant, vel quia agnoscebant minus idoneos ad onera Religionis ferenda, ob valetudinis defectum, vel ob aliquam aliam iustam, & rationi consentaneam causam. Hi debent talium Superiorum iudicio acquiescere, & bonā illā voluntate esse contenti, quæ apud Deum, magnam procul dubio habebit remunerationem. Tales solentur se illis Domini verbis, quæ dixit S. Gertrudi Virgini: Ego delector cum Electis meis disponere de diuersis, quæ nunquam euenient, vt ipsorum erga me comprobem dilectionem, ac fidelitatem. Et vt pro infinitis meritis eos remunerem, quæ nunquam opere perficere possent, quia omnem illorum voluntatem respicio, quasi pro facto. Et vt Christus Dominus S. Brigittæ dixit: Voluntas bona, si opus defuerit, pro opere reputabitur. Sic communiter Theologi docent, & verius, opus externum non addere meritum supra actum internum, & sic voluntas efficax coram Deo sine opere externo, dum non potest fieri, reputatur pro facto. Nunquam merito caret, etiam in tenui facultate, inquit S. Leo Papa, bona voluntatis opulentia. Deus enim, vt ait S. Cyprianus, non de patrimonio, sed de animo examinat. Isti tamen, dum non sunt compotes facti suorum piorum desideriorum, beneficentiæ & beneuolentiæ argumentis, ita illum

libr. 1. de Cain & Abel. c. 10. 1. p. q. 19. 2. 11. & 12. Gen. 22. 2. 12. S. 29. in Genes. 1. cont. Collat. c. 25. Act. 16. 7.

1. 3. c. 64. infra. diu. piet.

232. 1. 4. Reu. cap. 11. 4. Lugo. de peccat. d. 24. l. 4. n. 44.

S. 2. qua. drag. 1. de opere & electi.

F 3 lum

om. i. Chron. 3. Franc. 7. c. 14.

hom. 2. in 1. p. ad Theofil.

1. p. in Ge. 26.

1. 2. 1.

270. 20. & 9.

lum Ordinem profequi deberent, ac si essent in illum admissi, & si impetrauerint à Generali Ordinis participationem meritotum, magno thesauro ditati, procurrent, vt post mortem in templo, & sepulcro eiusdem Ordinis, & si fieri potest, in habitu eiusdem Religionis sepehantur, vti fecerunt quidam ex illustrissimis familiis orti & in nostrâ Societate, & in aliis Religionibus. Qui tamen semel ad Religionem admissi sunt, eamque ingressi, vult Deus eos perseverare in statu Religioso, quem si deserant inuitis Superioribus etiam in nouiciatu, meo iudicio sunt ex reprobis, vt supra cap. i. ostendi.

Luc. 9. vlt.

Athan. in Vita. Bern. ep. 1. Eph. 5. qui incipit, Non decet eos. Bern. de modo bene viuendi. 20.

imò hoc est ipsius Dei iudicium: *Nemo mittens manum suam ad aratrum & respiciens retro, aptus est regno Dei:* Quæ verba iis conuenire dixerunt S. Antonius apud S. Athanasium, & S. Bernardus, qui non perseverant in Religione: quocirca vitium non est, terribilem illam prolatam esse à S. Ephrem contra tales sententiam: *Si post renunciationem & abdicationem vita, in virtutis stadio claudicare quis inceperit, & sensim à rectâ viâ resiliat, oculoque retrosum conuertere, hic, & in vitâ presentis erit exemplo, & post hanc vitam regno caelorum priuatus, indignum seipsum Sanctorum choro reddet.* Et S. Bernardus: *Qui de Monasterio ad seculum redeunt, à societate Angelorum separantur, & demonibus sociantur. Qui sanctam Congregationem relinquunt, & ad secularem vitam descendunt, à societate Dei elongantur, atque dominio diaboli subiungantur.*

233.

*Secundò*, qui tantum generale desiderium conceperunt Religiosi status, & nondum se resolverunt ad certum Ordinem aliquem nominatim amplectendum, ne in electione certi Ordinis errent, hæc errent.

234.

*Primò*, ardentem à Deo petant sæpè, etsi breuiter, sed cum magno affectu, vt illum in mentem eorum de certo aliquo Ordine eligendo, in quo maximè Deo seruire, eiusque promouere gloriam possint. Nam vt benè ait S. Bern. & alij Sancti: *Vnicum remedium, seu refugium, oratio est, & frequens gemitus ad Deum, vt quid, quando, & quatenus nos facere velit, assidue nobis demonstrare dignetur.* Quin & Ethnicus Hierocles id agnouit: *Deus rectè petenti largitur. Ac preces nostra sunt quasi medium quoddam inter nos petentes, & Deum largientem.*

S. 17. in Cant.

ad verif. 47. Pythag.

*Secundò*, considerent dotes naturæ, & vires corporis, vt videant, ad cuius Ordinis munia sint magis idoneæ, & hunc eligant. Deus enim naturæ, & gratiæ dotes, & vires animi, ac corporis, vti alia omnia, dedit nobis, & creauit ad gloriam suam, quam per hoc queri cupit. Proinde illuc conuertenda sunt omnia, quæ accipiunt à Deo, vbi iis quàm maximè honorari possit. Sicut enim malus esset agricola, qui bonum semen seminaret in agro sterili, vel minus fertili, eum illud posset seminare in fertilissimo, copiosissimâ messe in allaturo, ita qui egregias naturæ, ac corporis dotes confert ad Ordinem, in quo minus gloriæ Deo accederet, omisso alio, in quo

Mat. 48. 7.

maximè Dei gloriam propagaret, imprudenter facit, & non vitur benè Dei donis: & ferè similis est ei, qui acceptam mnam abscondit, nullo emolumento sui patris familias. *Ager tu Christo es, inquit S. Paulinus, & cor tuum fertile. à Deo semè exceptum, spirituali fruge multiplicet.* Eò magis, quòd epist., seminatio spiritualis operum bonorum, ob messem acquirendam meritotum, est felicior, quàm terrena, quæ non nisi post aliquod interuallum mensium, fructum percipit, idque non semper. *At hic, vt ait S. Chrysostomus, die solâ licet pariter & semina spargere, & messem facere. Non enim propriâ tantum virtute, verum etiam diuino momento roborati, sic ad certamina vocamur.* Quocirca qui præclaras se habere dotes videt, ad auxilia animarum conducentes, in solitariâ eâ vitâ non demergat, nisi ad eam se diuinitus impelli non dubie agnosceret. *Sunt nonnulli, inquit S. Gregorius Papa, qui magnis dotati muneribus, dum solius contemplationis studijs inardescunt, parere utilitati proximorum predicatione refugiant: secretum quieti diligunt: secessum speculationis petunt: de quo, si districte iudicentur, extantis procul dubio rei sunt, quantis venientes ad publicum, prodesse potuerunt.* Quâ enim mente is, qui proximis profuturus inueneret, utilitati caterorum secretum preponit suum, quando ipse summi Patris Vnguentus, vt multis profecerit, de sinu Patris egressus est, ad publicum nostrum. Anteponenda sunt igitur lucra animarum, solitudinis quieti, nisi Deus clarè aliud exigat.

hom. 1. ad pop.

1. par. Pa. stor. c. 5.

236.

*Tertiò*, quando dubium est, pro quo Ordine tua sint idonea talenta, & dotes naturæ, ac vires corporis, vel, si sint ad plures Ordines æquè aptæ & accommodatæ, tunc non affectu, sed iudicio, electio determinanda est. Affectus enim ex se cæcus est, sæpè nos ad illicita, & minus bona impellit. Iudicio autem tranquillo res examinatæ agnoscentur melius, & agnitæ eliguntur securè. Examen autem hoc iuxta humanæ, & Diuinæ prudentiæ regulas instituendum est. Quas quidem sapienter tradidit pro omni electione S. P. N. Ignatius, à S. Sede Apostolicâ approbatas: & sunt hæc.

2. Heb. d. Exerci.

*Primum Punctum*, Proferre in medium rem deliberandam. In nostro casu: hanc vel illam Religionem ingredi debeam.

*Secundum Punctum*, Adducto ante oculos creaturæ meæ sine, in hoc consistente, vt cum Dei laude saluum siam, in neutram declinare partem, amplectenda vel repudianda rei controuersæ: quin potius velut in medio quodam interstitio & æquilibrio subsistere, parato interim animo, vt in eam illico partem totus ferar, quam nouero Diuinæ gloriæ, & salutis meæ fore aptiorem.

*Tertium*, Obscrare Dei clementiam, vt dignetur mentem instruere, & impellere voluntatem, quocumque mihi potius tendendum est, adhibito nibilo secus pio, fidelique intellectu mei ratiocinio, per quod, apprehensa, & probata à Dei voluntate, ad electionem ferar.

*Quartum*, Pependere, quot tandem commoda, vel aduincula mihi ad finem meum profectendum accedent

dent ex tali Officio: (ex tali Ordine, vel ex tali) quot rursus ex eodem incommoda & pericula impendent. Præterea: quot per oppositum omisso illo, tam commoda & adimicula, quam discrimina & damna possum expectari.

Quintum, His præmissis, ratiocinari in utramque partem, & iuxta ipsius rationis dictamen seposito carnis appetitu omni, electionem concludere.

Sextum, Electione factâ (non vltimâ) ad orandum citò proficere, & illam offerre Deo, perfecte demum, si ei placere, recipiendam & stabilendam.

437. Quoniam verò plus vident quatuor oculi (vt est prouerbium) quàm duo, tuam hanc deliberationem, & omnes in utramque partem rationes tuo Confessario, vel alteri simili personæ prudenti, & mature, & sua non quaerenti, & cui omnia tua benè perspecta sint, manifesta, vt dirrigaris ab eo, & si quâ in re hallucinatus es, corrigas. Nam sicut nautis, perito gubernatore instructa, inquit S. Iohannes Climacus, facile ad portum peruenit, sic anima que pastorem bonum delegerit, licet per se ruda sit, aut etiam vituis, prauisque moribus onusta, facile verum celestis gloria portum assequitur. Vt contra, sic qui auctore caret, etiamsi sapiens sit, sapè tamen errat in viâ. Sic qui suam voluntatem, ac iudicium in hac vitâ spiritali sequi decernit, licet omnium omnium sapientiam solus obtineret, facile tamen in anime exitum ruet.

438. Tertium monitum sit, solere suauem Dei sapientiam aliquibus iniicere desiderium amplectendi certum aliquem Ordinem, non quòd velit, vt eum ingrediantur, sed vt probet eorum obedientiam, & amorem erga se, priùs illis inspiret affectum ad aliquem Ordinem, vel eorum complexionem minùs repugnantem (vt postea ad difficiliorem & asperiorum eos inducat) vel certè priùs ad asperrimum eos impellit, vt heroica electione rei difficilioris, plurimum mercantur, postea verò ad mitiorem amplectendum efficaciter mouet, sciens illos non habere vel illas vires corporis, quas exigit asperior viuendi ratio, vel alia ad illum Ordinem requiritur, vel ob alias Diuinæ prouidentiae notas causas. Nam, vt benè ait Philo S. Petri Apostoli familiaris (quem S. Isidorus Pelusiota appellat contemplatorem egregium, & ingenti zelo pradtum, ac virum eruditum, & ob sublime dicendâ genus visum esse Platonis Magistrum) Deus non pro magnitudine gratiae suae beneficis est, nimirum infinita, & incomprehensibilis, sed attemperat se ad vires eorum, quos dignatur suâ beneficentiâ. Ideò non sunt improbandae postteriores resolutiones, & mutata priora consilia. Sic enim videmus Christum Dominum vetuisse primùm, ne Apostoli gentibus prædicarent, postea tamen eos ad gentes quoque misisse.

439. Sic S. Benedictus Abbas, vt scribit S. Gregorius Papa in eius vitâ, tribus annis in specu mansit ieiuniis & orationibus vacans, postea Dei monitu inde prodiit, Monasteria fundauit,

& vitam cœnobicam coluit ac instituit, & vt scribit Baronius, ad vitæ sanctæ emulationem suo exemplo quam plurimos traxit: cum tanquam ex aluuario excrecentia apum examina in alia vasa ipse inferens duodecim à se erecta Monasteria, repleuit.

Sic S. Dominicus priùs Oxomensis Ecclesiae Canonicus Regularis, deinde Ordinis Fratrum Prædicatorum auctor fuit, vt legimus in Breuiario Romano & eius vitâ.

Sic S. Antonius dictus Patauinus, adolefcens institutum Canonicorum Regularium suscepit; postea ad Franciscanum Ordinem tranfuit, vt habetur in eodem Breuiario, & vitâ illius. Sic N. S. P. Ignatio post suam conuersionem ad Deum (antequam diuinitus edoctus fuisset de Societate fundandâ) mens iniecta fuit Ordinem Carthusianorum Burgis ingrediendi (tacito suo nomine, vt in maiori contemptu haberetur) & ibi nihil præter herbas comedendi. Sed postquam Deo reuelante cognouit, se nouum Ordinem Societatis Iesu institutum, ad eum cogitationem suam transtulit, vt habetur in Processu Compulsorialis auctoritate Apostolicâ factò, in quo posita est vita eius à P. Ludouico Gonzalez scripta, ab ipsomet eî narrata. Sic P. Balchazar Aluarez notæ sanctitatis vir S. Teresiae Pater spiritus ualis primarius (quæ eum esse prædestinatum, Deo reuelante didicerat, & sanctitate omnes qui tunc viuabant, superare, quorum aliquot iam sunt canonizati, alij à Sede Apostolicâ Beatificati) hic inquam tantus vir, antequam Societatem Iesu ingressus esset, simili modo cupiebat Carthusianum institutum amplecti, & totum se tradere vitæ contemplatiuæ, sed postea mutato consilio, Societatem nostram ingressus est suastu cuiusdam cognati. Quod beneficium tanti fecit, vt post tranfactos multos in Societate annos, cum vidisset eam (vt dicebat ille cognatus) magnâ sanctitate & spiritu feruore eminentem, in quâdam perfectiones decem milliarum circumiuerit, vt cognato illi gratias ageret pro salutari consilio sibi olim dato, de amplectenda Societate, vt scribitur in eius vita cap. 1.

Sic Deus ipse legem veterem tot miraculis nobilem abrogauit, & nouam ei in multis contrariam instituit. Vtramque sapientissimo consilio, & hominibus maximè salutari.

239. Quartum monitum (cauenda est humana nimia prudentia in deligendis certis Ordinibus, excludens à spe hominum ad Religiosum statum aspirantium, spem diuinorum auxiliorum, & humanorum mediolorum, quæ abundè habet pro suis, quiuis Ordo Religiosus à S. Sede Apostolicâ approbatus. Ideò non facile credendum carni & sanguini, dum vocatur aliquis ad Religionem asperam, & horridam exterius, siue ob vestitus, & ieiuniorum asperitatem, siue ob alias difficultates, animum, & ingenium concernentes, ne ob hæc ab eâ resiliat, tanquam vires suas,

& dotes superante, ac ob id in eâ perseveraturum se non putet. Vidimus enim delicatissimos adolescentes, & tenerimos, elegisse Ordines asperos, & horridos, & in ijs diutissimè sanos vixisse cum magno divinæ gloriæ incremento eorum solatio ac merito. Vti ego Romæ vidi nepotem Leonis vndecimi Romani Pontificis delicatissimum adolescentulum, vix 14. annos natum, priùs nostram Societatem ingredi volentem, sed ab eâ, ob teneram ætatem (non licet enim per nostras Regulas vllum recipere qui annum ætatis quintum decimum non expleuit) tunc, & ob complexionem valdè debilem, & planè ob corpus macie exhaustum non receptum, PP. Carmelitarum Discalceatorum Ordinem ingressum, diu in illo vixisse sat robustum & valentem, & sanctè ibidem in ætate maturâ obiisse. Item noui in Societate alios, qui dum essent in seculari statu videbantur inepti ad omnia, & rudes, ac veluti stipes, postea excelluisse ingenio, & doctrinæ ornamentis, & multum saluti aliorum profuisse ac nostro Ordini. Pro qua re notanda est pulchra doctrina à Deo Patre tradita S. Catharinæ Senensi: Ego nunquam in me verè sperantibus in aliquo deficio, sed gratiosè provideo. Et vnde procedit, quod homo quandoque stans in deliciis cum pannis multis, & in magna cura proprii corporis, habendo quotidie cibaria delicata, continuè tamen est infirmitate grauatus. Postquam autem amore mei se contempsit, & amplexatus est voluntariam pauperiam, vnicò sibi vestimento reseruato, ad cooperiendam corporis nuditatem, ipse idem efficitur etiam corpore fortis atque sanus: & non videtur, quod aliquid ei noceat, neque consequitur quòd illi corpori suo detrimentum aliquod inferant frigora, siue calores, vel alia cibaria grossa. Totum hoc à prouidentia mea procedit, quia de illo curam habere cœpi, qui mihi de se totaliter curam commisit, omnino derelinquendo semetipsum. Ergo dilectissima filia, vides aperte in quanta reque consistant hi peramabiles pauperuli mei. Sperent ergo omnes in Deo, qui non derelinquit querentes se, vt ait S. Dauid. Credant Religiosos Ordines maioribus Dei præsidij, quàm sint humana, fulciri. Credant discretos esse Ordinum Præsidēs, qui non onerant magis, quàm ferre possint ij, quos Deus ad Religionem introducit. *Tactent cogitationem suam in Deū, & omnia se posse sperent in eo, & per eum, qui omnes confortat, & qui dicit: iugum suum esse suauē, & onus leuē. Dominus dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ.*

Pl. 147.

240.

gr. 4. col. 11.

Senim etiam in Religione difficultates vsu, & consuetudine superantur. *Consuetudo, inquit S. Iohannes Climacus, plurimum valet, & cuncta ex ea pendunt, eamque sequuntur: omnino longè amplius valet in bonis, cum potentissimum habeat adiutorem Deum.*

Quod si aliqui in Religione non perseverant, id eos non absterreat, sed excitet, vt in Religione viuant iuxta Regulas. Illi enim soli in

Religioso statu non perseverant, qui illius præscripta non seruant, & longè plures sunt qui perseverant quàm qui deficiunt, ex illorum ergo potius numero se fore sperent. Nam vt bene scripsit S. Hieronymus: *Noli respicere Iudam negantem, sed Paulum respicere consistentem. Iacob vidit scalam de terra vsque ad cælum, & ascendentes per eam Angelos, & descendentes, & desuper immitentem Dominum, vt lapsis manus porrigeret, vt ascendentes suo ad laborem prouocaret aspectu, vnde & vocatur locus ipse Bethel, id est, Domus Dei: in qua quotidie ascenditur atque descenditur. Et sancti enim corrumpunt si fuerint negligentes: & peccatores pristinum recipiunt gradum, si sordes stercibus lauerint. Non terreat ergo descendentes, sed prouocet ascendentes. Numquam exemplum à malis sumitur etiam in secularibus: semper à meliori parte incitamenta virtutum sunt.*

## CAPVT DECIMVM NONVM.

*Commendantur præcipui Religiosorum Ordines, ad quos in Septentrionalibus partibus frequentius solent adolescentes se conferre.*

Vellem habere hoc in loco, in quo hæc scribo, omnes illos libros, qui continent res præclarè gestas, & historias omnium Ordinū, ne vllum præterirem, non commendatum. Omnes enim sunt castra Dei, omnes sunt terrestres cælum, vt appellatur à S. Iohanne Climaco; omnes, vt eos laudat S. Gregorius Nazianzenus, sunt gregu Domini primitia, columna, & corona fidei, pretiosa margarita, templi illius lapides, cuius fundamentum, & lapis angularis est Christus. Omnes sunt terra Sancta, vt ait B. Laurentius Iustinianus, in quibus puritatis custoditur candor, & quantum fas est, cælestis vita præferuntur insignia. Sed quia talibus libris destitutus sum, nec aliunde in hac Prouincia Bohemiæ, perpetuis bellis ab annis propè triginta exagitatâ, & exhaustâ, eos acquirere possum; illa quæ partim in meis Aduersariis olim descripta inueni, in commendationem aliquorum Ordinum, in his Septentrionalibus Prouinciis frequentiorum, & celebriorum, partim quæ collecta reperi à R. P. F. Elia à S. Teresa Carmelita Discalceato in Legatione Ecclesiæ triūphantis ad militantem pro liberandis animabus Purgatorij, & ante illum à R. P. F. Dominico Grauiua Ordinis Prædicatorum Theologo, lubens in medium adferam; non quidem omnia, quæ de his Sacris Ordinibus dici possent (nam eorum historiam non scribo) sed quæ abundè sufficiant, ad commendandos valdè eos, vt ij, qui à Deo vocantur ad statum Religiosum, vel in genere, vel in particulari ad certum aliquem, tutò possint sua alicui eorum, dare nomina, & in perpetuum diuino obsequio se in illis mancipare, lato ac generoso animo, sine mora, & inutilibus, ac periculosis deliberationi-

ep. 34. h.

Gen. 11.

241.

gr. 4. col.

11.

or. vit. in

Tulian.

S. de S.

Hugonc.

L. 2. c. 27.

Vox tuar.

2. p. c. 6. &amp;

scqq.